

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Omnia Divini Platonis Opera

Plato

Venetiis, M.D.LVI

Dialogus decimus de legibus, vel, de legumlatione

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-254](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-254)

tradant, cui fecit iniuriam. Qui in compendibus teneat, Verberibusq; ut velit, ita pulset, ut nullum domino inferat damnum, deinde ipsum domino habendum reddat secundum legem, quae ista sit. Si seruus liberum hominem non imperantibus magistratibus verberauerit, dominus a pulsato vinculum ea conditione accipiat, ut non antea soluat, quam pulsato seruus ipse solutione se dignum esse iam persuasit. Haec vero eadem leges ad haec omnia mulieribus inuicem ad viros, virisq; ad mulieres communes esse debent.

## DIALOGVS DECI- MVS DE LEGIBVS, VEL, DE LEGVM- LATIONE.

MARSILII FICINI  
ARGVMENT.



**X**ORDIVM decimi epilogum supplet nomi, admonens tractanda esse iudicia de vi in rem ipsam illata, post iudicia de vi in personam in nono disposita. Quoniam vero nulla vis durior & intolerabilior est, quam quae contemptu quodam infertur: nimirum contumelias & iniurias vel in personam, vel in rem ex contemptu proprie natas in propria capita feligendas esse decorat: & has quidem sub quinque capitulis. Aut enim in sacra publica, aut priuata sacra, aut contra parentum reuerentiam: vel contra praesentiam magistratus, vel contra civilem gentilemque; alicuius cuius dignitatem comittuntur. Haec ergo exactissime iudicanda ceteris tam auctoribus legum quam magistratibus iudicibusq; committit. Distinguit post haec a ceteris ea quae in deorum contemptum sunt, quasi omnium vltra quam dici possit grauissima: in quibus decimi huius omnis versatur intentio. Sed primo quidem quid intersit sacri legum inter atque impietatem, inuit. Sacrilegium sane rapinam nominat, siue res, siue persona consecrata superis rapiatur. Atque id quidem velut species quaedam sub ipso impietatis genere continetur. Nam vltra sacrilegium sub impietate comprehenduntur, & cetera multa in deorum contemptum siue cogitata siue dicta seu facta, & commissa pariter & permessa atque etiam praetermissa. Ac ne quid nos lateat, ad impietatem etiam pertinet familiaritas & conuicio omnis seu in cibis seu verbis cum ijs inita, qui ob nefaria scelera arcentur a sacris, qui & contaminati ceteros quoque vel ipsa propinquitate contaminant. Quae quidem de re in calce non ita pertractat, ut vaticinari visus sit execrationes quotidie factas a nostris prophanos a cōione ecclesiae propellentibus. Proinde medicus noster animos impietatis morbo languentes diligentissime purgaturus, in primis causas huius morbi perquirat. Ac dum inquirat, Evangelicam tradit sententiam. Quicumque enim, inquit, de deo crediderit secundum leges, religiosus erit, neque prophanum quicquam vel agat aliquando, vel loquetur. Quam recte a fide hic dedit exordium? & a fide legibus adhibenda? Sed ne turbet quae de deorum numerus, quem non turbat numerus angelorum. Nihil enim plus apud Platonem tot possunt dii, quam apud nos tot angeli, totq; beati. Ceterum quidnam leges scilicet sacrae, & omnium antiquissimae de dijs. i. de deo angelisq; deo seruientibus aiunt? Profecto tria. Primum quidem, hos deos esse. Secundum, omnibus prouidere. Tertium, iuste pro meritis merita suppliciaq; rependere. In ipsa huius sententiae fide obseruantiaq; pietas tota consistit. Quis igitur impius? Qui videlicet vel negabit eiusmodi deos esse, vel & si sunt, prouidere: vel & si prouident, iuste rependere: id autem est putare superos iudicium humanorum more solis muneribus vel ab iniusto collatis facile posse placari. Plato igitur tres impij morbi causas expulsurus probabit esse deos, & qui in mundo sint sphaerarum mundi rectores, & qui super mundum dei summi contemplatores. Probabit deos omnibus vel minimis prouidere. Probabit constanti insititae recte bilance librae; non extrinseca munera manuum, sed intima animorum merita pensitare. Denique hac doctrina veluti quodam legis exordio ab omni diuinorum contemptu dehortabitur oēs, & cohortabitur ad pietatem. Praeterea legum minus stelligisq; perterrebit impios, atque torquetur. Principio deos esse quibus coibus indicat argumentis. Primum quidem ab vniuerso

so reru genere, secundum vero a specie humana deducitur. Primum igitur est eiusmodi. Comperit habemus ordinem ubique a ratione procedere, & ordinem quidem nusquam & nunquam interruptum a ratione potentis: ordinem quoque commodissimum ab optima ratione. Cuius igitur vniuersi tum dispositio, tum progressio ordinatissima sit, ac semper & ubiq; talis, neque id quidem absque mirifica quadam comodate, necesse est mundum ab optima potentissimaq; ratione disponi, atque moueri. Et cum vnum sit vniuersum, vnum vero ex diuersis non fiat nisi ab vno, consequens est vnam esse summam eiusmodi rationem. Et se praeterea ratione plures diuinas sub summa ratione diuina, quemadmodum in vno mundano opere rationabiliter ordinato, multi sunt globi inter se specie & virtute distincti: atque oēs rationabiliter ordinati: adeo ut mundi quodammodo multi, in amplissima videantur mundi vniuersi circūferentia contineri. Itaque similiter multi mundo riu quasi angustiorum rectores deinceps dispositi, sub vno amplissimum mundi rectore comprehenduntur. Qui sane cum non solum ordinatorem sit: sed ipse, ut ita dixerim, immensus ordo: multo magis ordinatore gaudet quam ordinato. Quocirca si multis in vniuerso ordinatis proculdubio delectatur, multis quoque oblectatur ordinatoribus. Quippe cum amplissimi regis excellentissima in hac amplitudine consistat, ut non angustos tantum seruos, sed amplios quoque & multos habeat infra se reges. Secundum vero ad idem argumentum a specie humana deductum, est eiusmodi. Naturalis speciei cuiusque institutus inanis esse non potest. Naturale quoque speciei animalium perfectissime iudicium oino falsum esse non debet. Cui vero humana species animalium perfectissima in oibus ubique semper naturali institutus immutabilisq; iudicio ad religionem feratur, necesse est esse superos qui religione colantur, superesse quoque corporibus animas. quod quidem religionis est potissimum fundamentum. Attende Platonis dictum, domes de diuinis, etsi interdum non nimis argutas, esse tamen veras. Haec occasiones duas ad impietatem. Intemperantiam scilicet corporea voluptatem concupiscentiam: rursumque ignorantiam ex absurdis poetarum physico-rumque quorundam opinionibus orta. Poetas in tribus circa deos errasse. Primo quod ex confusione, quae chaos nominant, erupisse deos cecinerint. Secundo quod alios ex alijs absque recta ratione, et quasi per humanum concubitu progenitos asseruerint. Tertio quod oēs hominum perturbationes, errata, flagitia in deos nefaria impietate traxerint. Physicos quoque illos in religione peccasse, qui vel cum Deo macrobio casu quodam temerario potius quam ratione diuina componi somniat vniuersum, mirabili ratione digestum: vel cum Anaxagora & Archelao caelestia nihil habere in se diuinis opinantur quam elementa. Praeterea formas eorum quae gignuntur, manifeste ad finem vbiq; directas, aut ex elementali potius impetu puenire, quam ab arte motu ad certum finem singula dirigentis. Quomodo vero in his confutandis, atque insuper in confirmandis quae & modo probauimus, & deinceps ex mente Platonis in hoc compendio asseremus: in theologiae nostrae libris suimus longiores, idcirco in praesentia breuiter percurreremus. Considera quanta sit Platonis nostri religio, et quam exploratum habeat deum esse, qui contra negantes deum disputans, vix ab ira continere se potest, vix alioquin supra modum otium et in vita & disputatione mitissimus. In his certe admonet, non esse eos qui deum negauerint, tolerandos. Nota Platonem probare illos, qui in ortu et occasu solis ac lunae adorant non solum proprie atque lunam, sed diuinam potius beneficentiam: cui quotidie gratias pro tanto luminis dono iubet agi. Iudicat illi inter hoies esse quasi monstrum, qui contra vniuersalem institutum, tum educationem, tum eorum consuetudinem superos esse negat. Mox vero admonet iuuenes, quos forte absurda quaedam ex auditu contra deum opinionem inuaserint, ut quae diu iuuenes sunt, iudicio de rebus diuinis abstineant, senioribus credat & legibus, donec aetas, experientia, ratio doceat. Afferit praeterea in medium opiniones quorundam qui sapientes habitus sunt: per quas hoies facile ad impietatem iniustitiamque declinant. Opiniones inquam asserentes quattuor elementorum naturas fortuito quodam motu inuicem confluentes cuncta coacervasse. Praeterea religionem iustitiamque, nulla veritate, sed hominum opinione distare. Quae obrem conclusit, haec tanquam & priuatum et publicum omnium perniciosissima esse rationibus confutanda: neque cogendos hoies ad legum obedientiam & obseruationem minus duntaxat atque tormētis: sed persuasionibus insuper atque rationibus. Alioqui hominem rationale animal, ideoque liberum, nisi rationis vinculo comprehenderis, neque debere aliter, nec posse ligari. Excitantur igitur legibus rationem: cuius tanta vis est ad inueniendum deum: ut post rationalem inuestigationem certior sit ratio in natura esse quam in seipsa, et tanto certior, quanto naturales effectus ordinatores conspiciat quam humanos. Vnde etiam tanto perfectior esse in natura arte quam in hoie animaduertit. Hinc rursum animaduertit arte operibus naturae alibus praesidentem, cum perfectior sit humana, et humana non solum sit, sed etiam vniuersa sit atque intelligenti & particeps: nimirum vniuersam & intelligentem esse: imo vero vitam & intellectum ad-

*Oraciones ad*

*Poetas. errores.*

*Physicos*

de & voluntatem. Cum enim singula manifeste ad proprios dirigat fines, certum est praevideisse finem atque voluisse: imò vero praevideere semper & velle, quemadmodum ordo in singulis semper conservatur integer: vel ubi interrupti videtur, citius quam dici possit, restauratur. Hanc vero esse divinam providentiam, minime dubitamus. Providentiam inquam neque minima negligentem: nõ enim hæc minus sunt ordinata quam maxima: neque in maximis laborantem. Non enim ordinationi resistunt ordinatori quam proxima: quæ eodem nutu voluntatis assidue ordinantur, quo & fiunt, & procul ab omni prævaricatione servantur. Hinc illud, in altis habitat: & humilia respicit in celo & in terra. sicut & celum ipsum dum suum in se absque labore peragat cursum, interim absque negligentia terram vberissimo radiorum suorum munere circumfundit. Inter hæc vero quod ait legem & artem naturæ vel non minus quam naturæ constare: quia proles sint mentis: intellige non minus veras quam naturæ formas existere: gigniq; ab intellectu diuino tanquam patre, & a mente humana velut matre. Et adverte solitam Platonis nostri pietatem invocantis deum ad confirmandos deos. Deum inquam unum: ut doceat deos oēs referendos ad unum. Dicit autem se dei summi auxilio fretum tutissime de diuinis disputaturum. Principia quidem eos phisicos improbat, qui summa rerum principia corporea posuerunt, ex quibus deinde vita intelligentiaq; procederent: cum dicere potius debuissent, corporea à vita intellectuali pendere. Id autem ita esse, proficitur noua non dico sententia, sed ratione se probaturum. Sententia enim eiusmodi priscorum est ante Platonem theologorum: Argumentatio vero qualis hic fiet à motu, Platonis est propria. Distinguit autem ipsum motionum genus in species decem: scilicet in Circuitum, Localem transitum, Condensationem, Rarefactionem, Augmentum, Decrementum, Generationem, Corruptionem, Mutationem, siue alterationem in alio ab alio factam, & Mutationem ex se, tum in se, tum in alio factam. Admiratur motum orbicularem, si quidem in eo stat centrum indivisibile, moventur reliqua. Item in sphaera longè profunda quam plurimi circuli designantur, alij deinceps alij ampliores. Atque id quod mirum est, eodem momento angustissimus circulus et amplissimus circuitum peragunt, adeo ut & huius tarditas in continuo corpore, & illius velocitas sit pariter admiranda. Medijs vero & ad dimensionem & ad motum secundum certas proportionem medio quoque modo se habent. Multa de his in expositionibus theologiae tractauimus. Dicit autem de illo: quod mutat locum, mutare centrum. i. centrum loci, ad quod corporis mobilis circūferentia comparatur. nonnunquam vero præter id quod centrum mutat, seruare etiam quodammodo idem centrum, quando scilicet non fixum, sed translatum loco per æqualem quandam circūferentiam circumagitur. Præterea ubi de generatione loquitur, ait, principium. i. naturam motricem atque seminariam: quando alteratione proficit, per tres procedere gradus, id est in longum, latum atque profundum: item attingere usque ad quantitatem, & qualitatem, formamq; substantialem per effectus suos sensibus manifestam, rursus peruenire ad esse formale et vitale atque sensuale. Putat autem in his motibus molem quidem corpoream moueri, sed non mouere: formam vero corpoream & mouere moles & moueri ab anima: Animamq; mouere quidem duo hæc: sed ipsam non alio, imò ex seipsa moueri: sed ita mouere, ut una cum rebus mutatis ipsa interim sua quodam pacto mutetur. Præstantiores ergo animabus diuinis angelicasq; mentes existimat, quæ inferiora moueant, ipsæ interim minime permutate. Eminentius denique ipsum bonum mentibus esse iudicat. omnes n. boni gratia appetunt veritatem. In his tangit multa ad naturam per se mobilem pertinentia, tanquam ad proprium motionis generationisq; principium. In quo motio quædam formalis & generatio spiritalis suapte natura viget, motionum generationumq; exemplar. Confirmat super omnia quæ moventur ob alio, esse naturam mobilem ex seipsa, videlicet ne procedatur in infinitum. Imò vero ut quemadmodum ultra illa quæ per aliud lucent aut calent, peruenitur ad aliquid per se lucidum, per se calidum: sic præter res ab alio mobiles ad rem per se mobilem veniatur. Quippe si nunc quiescant omnia, & paulopost aliquid præ ceteris moueri debeat, quidnam primo mouebitur? Non quidem diuina substantia prorsus immobilis. Neque etiam corporea illa quæ motum ab alio mutuuntur. Solum ergo quod ex se mobile est, primo mouebitur. exercensq; suum in seipso motum, traducet in alia. Id enim ita præstat corporibus ut moueantur, sicut immobile rerum principium rebus præstat ut moventur. Animam vero esse naturam per se mobilem, patet tum intrinsicè, quando suapte natura libere ratiocinando discerit atque consultat: tum extrinsecus, quando sua præsentia præstat corpori ut per se quodammodo moueatur. Sed de his oibus, & præterea quod super animas sphaerarum relictas oporteat esse angelos atq; deum, in theologia abunde tractauimus. Vbi vero Plato animam appellat mo-

tionem generationisq; intellige per modum cause, id est proprium motionis generationisq; principium. Et ubi ait à seipso moueri, esse animæ rationem: Nota ibidem dici etiam rationem animæ esse quod possit mouere seipsam, ne actum motionis intelligas esse animam, sed potentiam, non accidentalem inquam. Nam & substantia ibidem vocat animam. Sic ergo desinies: Anima est substantia propria, habens potentiam, qua & moueatur ex se, et cetera moueat. Quæ admodum vero res ex se mobilis rem ab alia mobilem antecedit: sic animam dico rationalem antecedere putat totam machinam corporalem, cum nullum corpus valeat ex seipso moueri. Antecedere Platonici aiunt, & dignitate simul & tempore. Siquis vero Platonem à Christianis minus dissentire velit, exponat animam nostram vel momento quodam temporis, vel saltem dignitate creatorisq; intentio ne præcedere. Ex eo autem quod anima substantia prior est substantia corporis, affectus quoque & motus, & dotes familiares animæ, concludit passionibus corporis esse priores. Vbi numerat animæ proprium, memento quæ actionem significant, esse animæ nostræ superioribus communia. Quæ vero passionem, propria nostræ, vel cum demonibus infimis tantum communia. Naturalem tamen motum qui in corpore passio est, esse in anima actionem. Et quod in corpore est longitudo, latitudo, profunditas, qualitas, motus, id esse in anima acumen, iudicium, memoriam, habitum & affectum. Cetera eiusmodi habes in theologia distinctius. Dicit et animam etiam esse malorum causam, scilicet per accidens, et quia anima nostra liberum habet arbitrium. Caute ubi dicit mundum gubernari ab anima scilicet sua, quod addit geminam esse animam, unam quidem beneficam, alteram vero contrariam, nec substantiam accipias geminam, sed potentiam. Si quidem in anima mundi atque celestis, potentia est: altera quidem motrix corporum, intellectualis altera. Intellectualis certe benefica est, ordine cuncta disponens, motrix vero eatenus benefica. i. ordinatrix, quatenus subest alteri. Cui quidem nisi subesset, quanto efficacior est ad motum, tanto magis carens arte præcipitaret uniuersum atq; confunderet. Animam vero celestem habere mentem, probat ex ordine quem in omni motu generationisq; semper obseruat. Profecto mentes videmus quatenus à mente alieni sunt, eatenus ab ordine alienos. Ordinem in præsentia dicimus mutuari inter se rerum actionumq; connexionem congrua successione dispositam, & ad finem certum propria quadam ratione directam: atq; in cunctis quoad potest: simile, æquale, idemq; seruantem. Eiusmodi ordinem ab his duntaxat qui mentis cōpotes sunt, seruari videmus, atq; in ipsa uniuersi progressionem prorsus impleri. Impleri inquam tam commodissime quam pulcherrime, ex quibus apparet ab anima quæ mentem habet et artificiosissimam & optimam gubernari. Neque ab re circuitum dixit proprium esse mentis. In circuitu enim indivisibile centrum manet, dum circūferentia redit in idem, et in figura motusq; seruatur æqualitas. In mente similiter: simplex fixusq; ad ipsum rerum directus manet intuitus, diu cause in effectus per media explicantur, vicissimq; effectus similiter replicantur in causas. Rediunt interim animaduersione mentis in seipsam considerandam, & simili, æquali, eadem, intelligenti, volendo, agendo, intentione, regula, progressionem procedit. Postquam vero & celestes sphaeras animabus, & animas mentibus optimis præditas esse probauit, significauitq; & uniuersum animam, & multas sphaeras multisq; in distinguat paucis modo tres, quibus animæ celestibus coniungantur: dicens animam vel ita globales esse sicut anima nostra corpori, ut inde animal unum efficiatur, vel sic adesse ut non viuificet quidem globum, sed moueat tantum atque regat, siue mirabili quadam solium mouendi potentia, siue quodam in super medio. Esti ex tribus propositis nullum præ ceteris manifeste hic eligat, Platonici tamen omnes primum absq; controuersia eligunt, idemq; omnino sensisse Aristotelem Theophrastumq; existimant. Putant n. Platonem idem probabilius habuisse. Nam argumentatio ipsa per quam hic celum efficit animatum, animam ipsam innuit unam cum moto celo moueri. Quod nisi ex ea & globo unum fieret animal, certe non mobilis motor esset, sed motor immobilis. Idem confirmat in Phædro. Idem & in Timæo, dicens, cum vellet mundi architectus, mundum intellectualem animal facere: neq; posset intellectus absq; medio adesse corpori: coniunxisse intellectum quidem animæ, animam vero corpori, atq; adeo ut medio infunderet mundo, & inde per cuncta diffunderet. Ceterum curram Plato hic celestes tantum deus manifeste confirmat? Quoniam superiorum contemplatio est à legum materia admodum aliena, & per celestes deos qui moventur, & proprijs mancipantur officijs, satis admonet superiorum rem esse querendum, qui & immotus ipse moueat omnes, & communis dux, propria singulis assignet officia. Quid plura? Manifeste super celestes animas diuinam esse mentem mentisque angelicas demonstrauit, ubi ait, celestem animam, utpote quæ

ex se non habeat, si intellectum semper diuinum acceperit rectè cun-  
 Ela perducere, prout apud deos recta felicitatq; habentur: alioquin  
 pentus aberrare. Ideo Plato vbi ab anima procedit ad mentē, quasi  
 qui ab oculo ad superius ascendat lumen, veretur admodū ne caliga-  
 re cogatur. Postquam verò deos esse monstrauit, prouidere demon-  
 strat, à singulari quadam sententia sic exordiens: Natura quæ ad  
 diuinitati cognata, homines non omnino à specie humana degenera-  
 tes ducit ad affirmandū esse deum, quamuis interdum de prouiden-  
 tia dei apprensus prosperitas improborū, quæ falsa prosperitas est,  
 quæ & statuto tempore dabit penas, dubitare nos cogat. Profectò  
 deus in intelligendo facit, consequenter quod facit intelligit, ac si to-  
 tū facit, intelligit quoq; totum. Si cognoscit totum, cognoscit et par-  
 tes ex quibus totum necessario constat: si partes, ergo particulas ex  
 quibus necessario partes. Potest ergo & scit vniuersum regere: qui  
 potest & scit prouidere. Vult quoq; vtiliter gubernare totum opus  
 suū. Gubernari verò bene non gubernatis partibus, nunquam pot.  
 Ita neque medicus, neq; architectus opus totū absque partibus ad id  
 necessario conducentibus, optimè curat. Non negligit deus minima  
 gubernare, qui facere minima nō neglexit. Neque difficilis est gu-  
 bernatio deo, cui est procreatio facilis. Neque mollitie ad curandū  
 tardior est, qui omnium est fortissimus, qui accuratius cuncta gu-  
 bernat, quàm vel ars vel natura quæ ab arte naturæ sunt. Nā  
 quanto magis à deo dependent opera dei, quàm artis vel nature o-  
 pera ab arte siue natura, tam deus operibus suis prouidet diligētius,  
 per cuius prouidentia cætera quoque id habet, vt similiter suis quæq;  
 prouideant. Quoniam verò ars quo perfectior est, eo facilius par-  
 ua simul expedit atque magna, in deo autē ars est immensa, nimirū  
 minima simul & maxima summa facilitate gubernat. In quibus  
 ritique dispensandis, non totū gratia partium, sed partes totius gra-  
 tiæ disponit, bonūq; cuiusque proprium refert ad vniuersi bonum.  
 Inter omnia verò sub luna maximam habet circa humanam speciem  
 diligentiam, tū quia perfectissima est: tum quia ipsa colit deum:  
 quasi ipsa singulariter excolatur à deo. In his notabis, à deo sum-  
 mo per singula rerū genera speciesq; diuini distributos esse rectores,  
 vel minimarum actionum passionūq; curatores. Qui sicut per po-  
 tentiā eius possunt, quicquid possunt, ita per prouidentiam ipsius  
 vel minorum procuratricem, minima quæque procurant. Nota-  
 bis in sideribus esse sensus, & vt Plotinus Hermiasq; disputant, vi-  
 sum propriè atq; auditum. sed in alio quodam genere longèq; præ-  
 stantiore quàm sensus animalium terrenorū. Notabis & animam  
 humanam semper corpori esse coniunctam, assidue quidem aethereo  
 corpori, per successionem verò tum terreno, tum aethereo corpori. Nō  
 motum animæ, quia primus est atque ex se, ideoq; liber, posse in  
 formas varias deriuari: usque adeo, vt anima aliās in habitum infe-  
 riorem homine, aliās in superiorem homine cōuertatur: & illo qui-  
 dem quasi quadam gravitate ad loca inferiora descendere: hoc autē  
 ceu leuitate sublimia petere. Ex quo apparet conceptos ex proprijs  
 motibus habitus cū diuinæ voluntatis lege concurrere. Sicut enim lex  
 illi dicitur, bonis quidem animis cælestia, malis verò terrestria con-  
 uenire: sic oīno nullo extrinsecus impellente, & quasi naturali quo-  
 dam instinctu, & bonorum habitus sponte superiora petunt, malo-  
 rum verò ad inferiora labuntur. Hic profectò si longius cōmentari  
 liceret, exponerē illud obscurissime dictum, vbi inducit aliquem trās  
 mutare conantem ignem in aquam aëatam, quasi difficilima molitē-  
 tem. Nam cum & aqua igni contraria sit, & aëa creari nō possit  
 ex igni: nimirum impossibilia tentat, qui ignem in aquam aëatam  
 transmutare molitur. Neque minus obscure dictum est, quod de res-  
 olutione & diuisione dialectica est exponendum. Nempe si quis di-  
 uidendo procedat per tres gradus, s. à genere quodam generalissimo  
 ad species subalternas, ab eisq; ad specialissimas, deniq; species facile  
 diuidit: similiter qui per eosdem gradus resoluit, à specie specialissi-  
 ma ad subalternum genus, & inde ad generalissimum, facile quoq;  
 resoluit. At verò qui per singula numero infinita peruagari volue-  
 rit, irritum opus aggredietur. Sed de his in commentarijs in Phi-  
 lebum. Inter hæc notabis Platonis verba Davidis prophetae oraculo  
 quàm similima: neque ascensu in calum neque descensu in infer-  
 num diuinum posse iudicium euitari. Posthæc ostendit deam à præ-  
 suis non posse muneribus iniuste placari. Vbi considerabis deum di-  
 ligentiorē esse humani generis curatorem, quàm pastores ouium,  
 gubernatores nauum, duces exercitus, agrorum rustici, equorum  
 aurigæ, medici egrotantium. Præterea oīa sub celo plena malorū,  
 perpetuūq; circa animas bellum. In quo vitia deorsum trahunt:  
 aij vero demonesq; sursum. Considerabis vitas esse in deo virtutes,  
 imò vitas: quarum scintillis quibusdam in anima inde successis ani-  
 ma ad sublimia eleuatur. Post verò proemia seueriori censuræ ani-  
 maduertit in impios, neque solum nefarias actiones, sed impudentiā  
 quoque verborū, imò & cogitationes ipsas contra diuinam dignita-

tem diligenter explorat: ac tres species impietatis in superioribus po-  
 sitas, in sex deducit: videlicet in duo quilibet partiendo. Tres. n. il-  
 le in opinione contra deū falsa consistunt. Potest autē vnā cūm fal-  
 sa opinione iniquitas quoque morum concurrere: potest & tolerabi-  
 lior æquitas. Cognosces hic & penas maleficorum, hæreticorum, su-  
 perstitiosorum, illorum præterea qui Pseudopropheta cognominan-  
 tur. Rursus quantum plebeam damnet superstitionem. Damnauit  
 & supra poeticam, à qua plebea etiam confirmatur. Vbiq; verò  
 Plato tam poeticam quàm plebeam superstitionem improbat, & an-  
 tē omnia humana officia, pietatem philosophicam veneratur.



**D**OST leges de cade Vulneribusq; et Verberibus, cōmunis lex illa de omni-  
 vi sanciat, vt nemo ferat asportetq;  
 rem alienam, aut vicini re vlla vta-  
 tur, nisi possidenti antea persuaserit:  
 hinc. n. mala omnia quæ narrauimus,  
 dependerunt, pendemq; iam & in po-  
 sterum dependebunt. Reliquorum ue-  
 rò maxima sunt, petulantium iuuenum contumeliæ atq;  
 iniuriæ. quæ tunc maxima, quando in sacra cōmittun-  
 tur: præsertim cū in publica atq; sancta, vel in tribuū  
 aliquarum cōmunionem, vel aliorū huiuscemodi. Secun-  
 do verò loco habenda sunt, quando in sacra priuata atq;  
 sepulchra. Tertio quæ in parentes seorsum ab his quæ nar-  
 rauimus. Quartū contumeliæ iniuriæq; genus est, quan-  
 do quis contemptis magistratibus, rem illorum abducit,  
 vel ea vtitur, antequam illis persuaserit. Quintum, cū  
 cuius alicuius ciuilis dignitas leditur vel offenditur, quod  
 genus omnino vltionem postulat. atq; his singulis cōmuni-  
 ter prouidere lex debet. De sacrilegio quidem summatim  
 dictum est, quid fieri oporteat, si vi aut clam peragatur.  
 De his autē quæ verbo vel opere in deorum contemptum  
 aguntur, quomodo puniendæ sunt, deinceps proæmio quo-  
 dam proposito dicendum videtur. Huiusmodi verò proæ-  
 mium sit. Qui deos esse putat secundum leges, nec facit  
 unquam sponte impium quicquam, nec loquitur. Faciunt  
 autē, aut dicunt impium aliquid in deos, vel quia deos  
 esse negant, vel quia etsi putant esse deos, de rebus tamē  
 humanis curare ipsos minimè arbitrātur, vel tertio quā-  
 uis & sint, & de hominibus curam habeant, facile ta-  
 men placari eos votis & sacrificijs opinantur. c. l. Quid  
 faciemus igitur? quid ad ipsos dicemus? A. T. H. Audia-  
 mus, o bone vir, prius quid in nostrū contemptum ioco  
 quodam dicturos illos conijcio. c. l. Quidnam dicent?  
 A. T. H. Ita fermè in nos nugabuntur. O Atheniensis ho-  
 spes, nosq; Lacedæmonie atq; Gnose, uerè illud dicitis, quod  
 nostrū alij nequaquam esse deos, alij nihil nostra curare,  
 alij muneribus facile placari existiment. Quod igitur uos  
 in oībus legibus ferendis faciendum esse putauistis, hoc  
 & nunc à vobis fieri volumus, vt scilicet antè legū mi-  
 nas sufficientibus signis deos esse nobis persuadeatis, nec  
 posse illos præterquā fas est, muneribus vllis moueri. Nūc  
 enim hæc & similia quædā audientes prædicari quotidie  
 ab ijs qui excellere putantur, poetis, oratoribus, vaticibus,  
 sacerdotibus, alijsq; permultis, ab iniuria quidem fa-  
 cienda non remouemur: sed cum fecerimus, placare deos  
 conamur. A vobis autem qui atroces nullo modo, sed  
 mites legūlatores esse gloriāmini, poscimus, vt persuasio  
 ne prius adhibita, quod dii sint, ita doceatis, vt etiam  
 si non multo sublimiora quàm alij, veriora tamen loqua-  
 mini. Fortè nang; vobis credemus. Quare si aquū quid  
 postulamus, mortem gerite. c. l. Atqui, o amice, facile  
 D d est ve

De omni. vi.

De cōcepta  
numinis.

De dijs.

lamus, morem gerite. CLIN. Atqui, o amice, facile est Veritatem hanc ostendere quod di sint. ATH. Quo pacto? CL. Primum quidem terra, sol, sidera ipsamque unum, temporum quoque ornatissima Varietas, annis, mensibusque distincta id ostendunt, Græcorum præterea barbarorumque omnium consensus, deos esse fatentium. ATH. Timeo, o beate Vir, scelestos homines, timeo inquam, non erubescio, nec vereor, ne forte Vos contemnant. Vos. n. differentia istorum causam ignoratis, et incōtinentia voluptatum cupiditatumque tantummodo putatis ad impiam animos eorum vitam corrumpere. CL. Sed quæ nam præter ista, alia istorum causa hospes est? ATH. Quod Vos ipsius expertes penitus fugit. CL. Quid hoc? ATH. Ignorantia quædam certè grauisissima, quæ maxima videtur esse prudentia. CL. Quo pacto inquis. ATH. Feruntur apud nos sermores, partim metro, partim soluta oratione conscripti, qui apud nos propter disciplinam civilis excellentiam, ut audio, non reperiuntur. Quorum antiquissimi primam cæli aliorumque naturam deorum factam fuisse affirmant, nec multum progressi, deorum generationem consuetudinemque inter se narrant. Quæ quoniam prisca sunt, quantum ad alia quidem siue rectè, siue non rectè se habeant, reprehendere non facile est, ad cultum tamen honoremque genitorum, nec vitia ipsa, nec vera esse fatebor. Prisca igitur dimittamus, deique illis, ut diis placet, dicamus: iuniorum verò sapientum verba si ubi mala hominibus afferant, incusemus. Profecto istorum verbis illud efficitur, ut cum ego & tu hæc ipsa signa esse, quod di sint, asserimus, solemque ac lunam, sidera et terram, quasi deos et res diuinas in medium adducimus, tunc iuuenes ab istis sapientibus aliter persuasi, terram & lapides hæc esse dicant, nullamque humanarum rerum curam habere posse, sed verbis tantum ornatis verisimiliter sermonem de istis esse digestum. CL. Graue id certè hospes, etiam si solummodo unus dixisset. Nunc verò eo grauius & molestius est, quo plures sunt qui dicunt. ATH. Quid ergo dicere, qui due facere nos oportet. Vtrum quasi apud impios homines accusati simus, quod falsos deos esse legibus affirmauerimus, ad defensionem accingemur? An his dimissis ad legum tractationem iterum reuertemur, ne proœmium legum nobis hoc excreseat in longum: cum oratio breuis futura non sit, si pronis ad impietatem hominibus quæ requirunt, sufficienter ostendere voluerimus, atque etiam terrore illos à scelere amouere, demum verò quemadmodum conuenit, leges ferre? CL. Sapenumero in hoc breui tempore hospes à nobis dictum est, breuitatem non esse prolixitati anteposendam. Nihil. n. nos, ut dicitur, urget. Quare ridiculum simul & prauum esset, si breuiora melioribus præferremus. Multum enim conferret, si verisimili ratione sermo noster ostenderet quod di sint, & boni sint, iustitiamque multo magis quam homines colant. quod ferè optimum pulcherrimumque legum omnium erit exordium. Quæobrem absque ulla molestia atque festinatione, pro viribus nihil prætermittamus, quod ad hæc rem persuadendam pertineat. ATH. Iste sermo tuus adeo te paratum promptumque ostendit, ut ad preces votumque videatur pronocare, nec moram amplius patiatur. Verum quomodo absque offensione esse aliquis deos disserat? præsertim cum necesse sit, grauius ferre odisseque eos, qui horum verborum nobis causam præbuerunt. Hi certè à pueritia ad deos affir-

mados eo maxime inducere animi potuerunt, quod dum lacte nutritur, à nutricibus matribusque, multa de illis ioco et serio dicta decantant, in orationibus audiebant, & in sacrificijs videbant consentanea quæque illis fieri, quæ suauissime pueri & vident et audiunt, dum parentes eorum summo studio pro se liberisque sacrificare, orant, supplices, deos, quasi quam maxime dii sint, viderent: necnon quotidie in ortu & occasu solis ac lunæ Græcos & Barbaros omnes tam in rebus aduersis quam secundis conspicerent, suppliciter adorare: atque ex hoc non suspicionem quod di non sint afferre, sed testimonium quod sint absque controversia perhibere. At verò qui hæc omnia, nulla ratione, ut mentis compos quilibet diceret, moti despicunt: proptereaque nos ad hæc dicenda compellunt, quo pacto eos nunc mansuetis verbis corrigere, & primum quod di sint docere possumus? Audeamus tamè: nec. n. decet, cum illi voluptate perdantur, nos quoque ira in eos corrupti. Quapropter omni cōtatione animi extincta proœmium ad eos qui ita mente corrupti sunt, aggrediamur: et quasi ad unum eorum ita orationem mansuete uertamus. O fili, iuuenis adhuc es: nec dubito, quin progressio temporis faciat, ut de multis aliter quam nunc sentias. Expecta igitur oro, ut tunc de rebus maximis iudices. Maximum autem est quod tu modo nihil arbitraris, ut rectè de diis sentientes, bene viuamus. Verum si hoc in his permagnū tibi certificauero, minime mentiar. Nō tu solus nec amici tui primi, hæc de diis opinionem habetis, sed aliqui semper, tum plures, tum pauciores hoc modo laborant. Quod verò plurimum illorum contigit, tibi narrabo. Profecto nullus eorum ab adolescentia usque ad senectū in hac opinione quod di non sint perseuerauit. Reliqui autem duo morbi quauis non multis, nonnullis tamen permanserunt: quod di sint quidem, sed de rebus humanis nihil curent. Vel quod curent, sed facile precibus sacrificijsque placentur. Tu igitur si mihi credes, expectabis, donec plane constet tibi pro viribus, quid de his iudicandum sit. Vtque id assequaris, diligenter considerabis, siue sic siue aliter se res habeat, et à ceteris omnibus, et à legum latore maxime sciscitaberis. Interea noli tam temerarius esse, ut impie de diis sentias. Is. n. qui tibi leges ponit, et nunc et postea, quomodo ista se habeant, docere conabitur. CL. Optime hucusque hospes nobis est dictum. ATH. Prorsus est ita, o Megille, atque Clinia. Sed in mirabilem quendam sermonem nescientes incidimus. CL. Quænam. ATH. Qui à multis sapientissimus esse putatur. CL. Dic clarius. ATH. Res omnes nonnulli aiunt, quæ sunt, quæ futura, quæque facta sunt, vel natura, vel fortuna, vel arte fieri. CL. Et probè quidem. ATH. Certè non absurdum est viros sapientes probè dixisse. Quare sequamur ipsos: inquiramusque quidnam intellexerint. CL. Oino. ATH. Maxima dicunt atque pulcherrima natura fortunaque fieri: Arte verò minora: eaque dicunt accepta à natura magnorum primorumque operum generatione, fingere, fabricareque omnia, quæ artificiosa ab omnibus appellatur. CL. Quo id ais? ATH. Sic planius dicam. Ignem aquam, terram, aërem, omnia hæc non arte, sed natura et fortuna esse dicunt. Corpora et quæ post hæc sunt, rerum terrenarum, solis, lunæ, stellarum omnium, ex istis animam prorsus carere tibus facta fuisse aiunt, fortunaque quo unumquodque vis sua impullit lata, singula singulis, frigida calidis, sicca humidis, mollia duris, et omnino contraria contrarijs, duce fortuna conuenisse, ac necessario contemperata fuisse. Hoc pacto cælum

Res omni vel  
natura, vel  
fortuna,  
vel arte fit  
11.

cælum totū, & quæ in eo sunt omnia, animalia quoque, & plantas, & anni tempora fuisse producta: non per intellectum, neque per deū aliquem, sed natura, ut diximus, atque fortuna. Ex quibus artem postea mortalem à mortalibus factā, posteriores quasdam res genuisse, non penitus veritatis participes, sed simulacra quadam sibi ipsis cognata, qualia pictura, musica, ceteræque artes his similes generant. Si quæ verò artes serium aliquid faciunt, eas esse quæ vim suam cum natura cōicant: qualis est medicina, agricultura, gymnastica. Ciuilem præterea peritiam aiunt, parua quadam parte cum natura, magna verò cum arte concurrere: atque ita vniuersam legum positionem non cum natura, sed cum arte, cuius positiones vera non sint, conuenire. CLIN. Quonam pacto? ATH. Deos, ò beatè vir, non natura, sed arte & legibus quibusdam cōstare volunt, eosque alijs alios, prout singuli secum consentientes lege sanxerunt. Pulchra verò vel honesta, alia natura, alia lege consistere. Sed iusta natura minimè esse: imò verò hōes de his semper inuicè disceptare, & noua quotidie constituere: & quæ nuper statuerunt, quatenus illis sic placet eatenus esse iusta, nō natura quidē, sed arte & legibus stabilita. Hæc sunt, ò amici, quæ sapientes viri, tum poetæ, tum scriptores alij iunioribus tradiderunt, dicentes iustā esse eam possessionē, quæ vi & victoria comparatur. Vnde iunioribus impietas innascitur, ut credant nō esse deos, quales credere leges iubent. Hinc et seditiones oriuntur, per quas ad eam homines vitam quasi secundum naturam rectā trahuntur, quæ ita viuunt, ut ceteros vincant, nec secundum leges alijs seruiant. CL. O qualem hospes rem narraſti, qualemque pestem iuuenum & publicè ciuitatibus, & priuatim domibus suis illatam? ATH. Vera narraſti, ò Clinia. Sed cū ita res se habeat, quid legūlatori agendum cēses? An solum minari omnibus hominibus debet eos omnino peccatus duros, nisi deos esse credant, talesque opinentur, quales à legibus traduntur: deique honestis & iustis & maximis quibusque rebus, ac de virtute & prauitate, ita omnino arbitrentur & agant, ut legūlator præscripserit. Si igitur non paruerint, alios mortis supplicio, alios flagellis & vinculis, alios dedecore, alios exilio, egestateque puniendos. Itane minabitur quidem tantū legūlator, ut aut in legūlatione persuasionē minis adiungat, qua mitiget, nihil curabit? CL. At minimè hospes, sed si qua in huiuscemodi rebus vel modica persuasio inueniri potest, non debet legūlator qui modò alicuius precij sit, labore inde deterri, sed quàm maximo, ut dicitur, clamore potest, prisca legi auxiliū ferre, rationibusque ostendere quòd dii sint, & quacūque ipse paulò antè dicebas: atque ipsi legi & arti ita suffragari, ut vel natura, vel non minus quàm natura constare affirmet, cū mentis ipsius proles sint, ut recta ratio mōstrat: quæ tu modò dicere mihi videris, & ego credo. ATH. O paratissimi animi Clinia, nōne arduū est, ea rationibus prosequi, quæ ita per oēs diuulgata sunt, ipsaque proluxa sunt, nec breuitatem patiuntur? CL. Quid hospes? cū tam multa de ebrietate & musica dicerentur, eam proluxitatem aquo animo tulimus: de dijs verò talibusque rebus plura dicentē non auscultabimus? Enimverò legūlationi prudenter dispositæ, magnum hinc patrocinium est futurum, cū legum mandata literis tradita quæ toto tempore futuro redargutioni subiecta esse solent, sic

comprobata quiescant. Quare terreri non debemus, si auditu ardua principio sunt, quæ vel tardi ingenij homines sapius repetendo ad aduertere poterunt. Hæc igitur licet proluxa, si modò vtilia sunt, non videntur abijcienda. Nec æquum est hos sermones pro viribus non defendere. MEG. Optimè mihi hospes Clinia loqui videtur. CL. Et maxime quidē, ò Megille, quare faciendū est, ut dicit. Profectò nisi sermones isti inter oēs, ut ita dixerim, hōes vulgatis essent, nihil opus esset, deos esse rationibus demōstrare. Nunc verò necesse est. Cum igitur maxime leges ab improbis hōibus corrumpantur: cuiusnam magis quàm legumlatoris officium est, auxiliū ferre? MEG. Nullius certè. ATH. Verū dic mihi Clinia, participem. n. te rationis huius esse oportet. Nōne qui hæc dicit, ignem, terram, aquam, & aerem, prima omnium putare videtur? atque hæc eadem naturam vocare, & ex his posteriorem autem arbitrari? Imò non videtur solum, sed ista nobis oratione sua verè significat. CL. Ita prorsus. ATH. Nū igitur per Iouem quasi fontem quendam inuenimus stultitiam illorum opinionis, qui nunquam quæstiones rerum naturalium attigerunt? Considera obsecro, & rationem omnem scrutare. Non enim parum interest, si ostenderit eos qui impijs rationibus innuntur, ceterosque ad impietatem trahunt, non rectè, sed peruersè differere. Mihi igitur de his ita videtur. CL. Probè dicis, sed coneris ista ostendere. ATH. At videbor rationibus uti non consuetis. CL. Ne verearis amice. Intellego enim quòd putas longè te à proposito ferendarum legum abire, si disputationem hanc ingrediamur. Verum si nō aliter conuincere possumus re se habere quæ de dijs secundum legem modò dicuntur, dicendum est omnino. ATH. Dicam iam nouam hanc penè inauditamque rationem. Quod generationis corruptionisque omnium prima causa est, non primum, sed posterius factum illi sermones affirmarunt, qui animos impios effecerunt. Quod verò posterius, id prius. Quare ueram deorum substantiam ignorarunt. CL. Nondum intellego. ATH. Qualis anima sit, & quam habeat vim, omnes fermè ignorasse videntur, tum quo ad alia, tum quo ad eius generationem, quòd ante omnia corpora nata sit, & transmutationis decorisque corporum ipsa sit maxime omnium princeps. Si hæc ita sint, nōne quæ antea ipsius propria sunt, necessariò priora his erunt, quæ ad corpus pertinent, cū ipsa corpore sit antiquior? CLIN. Necesse est. ATH. Ergo opinio, cura, intellectus & ars & lex, duris & mollibus, grauibus atque lenibus priora sunt. Quare ingentia & prima opera, operationesque ipsæ artis in primis erunt, quæ verò natura sunt, & natura ipsa, quam non rectè sic appellant, posterius sunt, & artem intellectumque sequuntur. CLIN. Cur non rectè? ATH. Quia naturam generationum circa prima dicere volunt, primaque ponunt corpora. Si autem non ignis, nec ver, sed anima primo esse videbitur, anima ipsa corpore antiquior rectissime affirmabitur: & hæc ipsa ita natura constare, si animam corporibus antiquiorem esse constituerit: aliter verò nequaquam. CLIN. Vera loqueris. ATH. Num deinceps ad hæc ita pergemus? CLIN. Ita prorsus. ATH. Rationem cauillatoriam fallacemque fugiamus, ne si fortè iuuenilis ipsa nos senes fefellerit, ridiculos reddat, videamurque magna aggressi, ne parua quidem consecuti fuisset. Si annem profundum

Reijcitur  
opinio dicē  
tium omniū  
principia est  
se corpora.

rapidumque tres ipsi transire vellemus, & ego iunior vobis, fluctusque magis expertus dicerem, periculum me primum vobis in tuto relictis facere oportere, vtrum transire fluminis a vobis senioribus possit, an non, & postea facto periculo, aut adhortari vos ad transitum, aut si transire non possit, me solum periculum subisse, modeste loqui viderer. Non aliter modo cum ratio profundior adenda sit, fermeque vestris viribus non accessibilis, ne vertiginem tenebrasque vobis faciat, ad eas vos quaestiones deducens, quibus consueti non estis, atque hoc pacto dedecore tristitiaque afficiat, periculum in me primo ita faciendum censeo, ut & me ipsum interrogem, & mihi ipsi respondeam, & hoc pacto vobis in tuto audientibus, totam hanc de anima disputationem pertranseam, qua prior esse corpore ostendatur. CL. Optime hospes loqui videris, facitque, ut dicas. ATH. Age igitur modo magis quam unquam deum omnino studio inuocemus, cum deos esse diligenter demonstrare conemur, rationemque ingrediamur, rudentibus tutissime tensis. In hac autem disputatione, interrogationibus homini sic securissime respondere videor, si quis roget, O amice, si ante omnia, nihilque mouetur: an contra, stat nihil, cuncta mouentur? Vel aliqua mouentur, aliqua permanent? Huic vti respondebo manere alia, alia vero moueri. Nonne in aliquo loco stant & mouentur? Quidni? Nonnulla in vna sede id faciunt, nonnulla in pluribus. Eane dicis que stantium in medio vires capiunt, in vno moueri: quemadmodum circuli stare dicuntur, licet circulerentia eorum vertatur? Ita prorsus, intelligimus aut quod in hac circulatione, cum homini motus maximum simul minimumque circulationem circūducatur, secundum proportionem, se ipsum maioribus minoribusque differt: & ipse quoque proportione seruata maior est & minor. Propterea cunctorum factus est fons mirabilium. Vna enim cum magnis paruisque circularibus velocitates tarditatesque conuenientes ita transigit, ut incredibile quiddam peragere videatur. Vera narras. In multis vero moueri, dicere mihi videris, quicunque ex alio in alium semper transeunt locum: & nonnunquam alicuius centri vnius obtinent basim, nonnunquam plura: eod quod circūuoluantur: & cum singula sibi inuicem passim occurrant, si stantibus resistentibusque obuia fiunt, scinduntur: sin vero contra latius, vnum facta tam hac quam ipsorum intermedia coniunguntur, atque condensantur. Fateor vtiq; hac ita se habere, ut tu ais. Atqui coniuncta densataque augentur, disiecta vero rarefactaque minuuntur, quando prior singulorum habitus permanet: quando vero non permanet, propter vtraque corruptio sequitur. Fit igitur omnium generatio, quando passio quaedam sit: cum videlicet principium capto incremento ad secundam perueniat translationem, & ab hac in proximam: cumque ad tres usque peruenerit, in sentientibus sensum habuerit. Hac ergo transmutatione atque translatione quodlibet gignitur. Vere autem est, quando permanet. Quod si in alium habitum permutatum sit, iam penitus est corruptum. Species motuum omnes praeter duas, o amice, iam diximus. CL. Quas illas? ATH. Illos, o bone vir, motus nondum diximus, quorum penes gratia tota hac consideratio est. CLIN. Dic planius. ATH. Anima gratia disputationem hanc aggressi sumus. CL. Maxime. ATH. Sit ergo alter motus, quo quid alia semper mouere potest quidem, se ipsum vero non potest. Alter quo quid & se ipsum sem-

Aggredi-  
tur demon-  
strare deos  
esse.

per & alia potest mouere, coniungendo, disjungendo, au-  
gendo, & contra: generando praeterea & corrupendo.  
Qui motus a ceteris omnibus est distinctus. CL. Sint ut vis.  
ATH. Nonne motum illum nonnum ponemus: quo aliquid  
ab alio mouetur, & alia mouet? Decimum vero colloca-  
bimus illum, quo & se mouet & alia: qui certe omnibus  
actionibus & passionibus se accommodat: rerumque omnium  
quacumque sint, reuera motus & transmutatio nuncupatur.  
CL. Ita prorsus. ATH. Quem potissimum ex decem  
motibus ceteris omnibus tanquam robustissimum & effica-  
cissimum praeponeamus? Necessesse est cum quo quid & se  
& alia mouere potest, longissimo intervallo praecedere, ca-  
teros autem omnes esse longe posteriores. CL. Probe. ATH.  
Sed vnum vel duo non recte locata, aliter ponenda sunt.  
CL. Quae nam? ATH. Quod de motu decimo diximus,  
non recte est dictum. CL. Quare? ATH. Quia qui deci-  
mo enumeratus est, tam generatione quam robore secun-  
dum rationem primus est. Secundus vero, quem nono ab-  
surde loco enumerauimus. CLIN. Quomodo haec dicis?  
ATH. Sic. quando aliud ab alio mouetur: idque rursus sem-  
per ab alio: erit ne in talibus aliquid quod primo mouea-  
tur? At quomodo id cum ab aliquo moueatur, eorum que  
mouentur, primum erit? Certè impossibile id est. Sed  
quando aliquid seipsum mouens, aliud quoque mouebit:  
illudque aliud, & sic deinceps plurima mouebuntur:  
an aliud totius motus principium erit, quam mutatio eius  
quod seipsum mouit? CLIN. Egregie dictum id, & con-  
cedendum est. ATHEN. Praeterea sic nos ipsos interroge-  
mus, & ipsi nobis respondeamus. Si quomodo vni-  
uersa simul steterint, ut plurimi talium audent dicere,  
quem motum potissimum ex omnibus primum in ipsis  
fieri asseremus? Eum profecto, quo quid seipsum mo-  
uet: Motus enim dependens ab alio, non prius incidit,  
quam alia quaedam ipsis inciderit permutatio. Qua-  
propter initium omnium motionum primumque motum,  
qui & instantibus factus sit, & in his quae mouentur  
modo insit, illum fateri necesse est, quo quid seipsum mo-  
uet, & hanc esse antiquissimam omnium potentissimamque  
mutationem: secundam vero illam, qua quid ab alio mu-  
tatur, & alia mouet. CLIN. Verissime dicis. ATHEN.  
Postquam hucusque disputando deuenimus, hoc quoque  
respondeamus. CLIN. Quidnam? ATHEN. Si primum  
motum in terreno vel aquatico vel igneo corpore, siue sim-  
plici, seu mixto viderimus, quam inesse ipsi passim di-  
cemus? CLIN. Nunquid rogas, si viuere ipsum dicen-  
dum sit, quod a seipso mouetur? ATHEN. Id ipsum.  
CLIN. Viuere certè. ATHEN. Quid vero cum animam  
esse in aliquo viderimus, num ob aliud viuere ipsum  
quam ob hoc putabimus? CLIN. Ob hoc ipsum. ATHEN.  
Attende per Iouem obsecro nunquid velis tria in re  
qualibet intelligere. CLIN. Quo pacto? ATHEN.  
Vnum substantiam ipsam. Vnum substantia ratio-  
nem. Vnum quoque nomen ipsum. Interrogationes  
etiam de omni re duas esse? CLIN. Quomodo duas?  
ATHEN. Quod videlicet nonnunquam nomine nobis  
proposito, rationem ipsam quaeramus, nonnunquam ra-  
tionem assecuti, nomen iam inuestigamus. Sed volu-  
musne hoc iterum dicere? CLIN. Quidnam? ATHEN.  
Bipertita distinctio, & in alijs, & in numero reperit-  
tur. Et in numero sic diuiso, nomen quidem, par est:

Ratio

Qua anti-  
quissima et  
potentissima  
mutatio.

Ratio aut, numerus in duo equalia diuisibilis. CL. Certè. ATH. Tale aliquid dico. Nōne idem in utroq; significamus, siue nomen interrogati, rationem: siue rationem interrogati, nomen reddamus quandoquidem vna eandem rem nomine quidem parem, rōne verò numerum in duo equalia diuisibile appellamus. CL. Idem omnino. ATH. Rei verò illius cui nomen est anima, quæ nam rō est. Num habemus aliam rationem, præter eam quam modo diximus, quod ipsa possit seipsam mouere? CL. A seipso moueri asseris rationem esse illius substantia quam nomine omnes animam appellamus? ATH. Assero equidem. Quod si ita est, an adhuc desideramus sufficientius demonstrari, idem esse animam, & primam generationem ac motum rerū quæ sunt quæ fuerunt, quæq; futura sunt, omniumq; rursus istis contrariorum? quandoquid transmutationis motusq; omnis omnibus causa esse apparuit. CL. Minimè. Nam sufficientissimè monstratū est, animam oibus antiquiorem esse, cū motus principium sit. ATH. Nōne igitur motus qui ab alio in alio fit: quōue nihil unquam seipsum mouet, secundus est, et quoto quis velit numerorum interuallo superiori motui postponendus? siquidem corporis verè inanimati mutatio est. CL. Probè. ATH. Rectè igitur & proprie, verèq; & absolute diximus, prius corpore animam factam fuisse, corpus verò posterius atq; secundo, anima secundum naturam dominantem subiectum. CL. Verissima hæc sunt. ATH. Recordamur nos in superioribus concessisse, si antiquior corpore anima declaratur, illa etiam quæ anima competūt, ijs quæ corporis propria sunt, priora esse simul declarari? CL. Maximè. ATH. Affectus ergo, mores, voluntates, cogitationes, veræ opiniones, curæ, memoria, omnia hæc longitudine corporū, latitudine, profunditate, robore, prius facta sunt, sicut & anima corpore. CL. Necessè est. ATH. Num et concedere cogimur bonorū et malorū, honestorū et turpium, iustorum & iniustorum, ceterorumq; contrariorū causam esse? siquidem causam omnium ipsam asserimus. CL. Cur non? ATH. Animā cuncta gubernantem, et in omnibus quæ mouentur habitantē, nōne & cælum gubernare necessario confitebimur? CL. Oīno. ATH. Vnam an plures? Plures certè, ut ego pro vobis respondeā. Nec pauciores quàm duas ponere debemus, vnam beneficam, contrariam alteram. CL. Rectè admodum. ATH. Vniuersè ergo quæ in cælo sunt, quæ in terra, quæ in mari, suis motibus anima ducit: quibus nomina sunt, velle, considerare, curare, consultare, rellē & non rectè opinari, letari, dolere, audere, metuerē, odisse, diligere: & ceteris præterea motibus oibus, qui horum affines primiq; sunt, qui et secundos corporum motus suscipientes, omnia in augmentū decrementumq; perducunt: concretionem, vel condensationem, & discretionem, vel rarefactionem: & in ea quæ ista sequuntur, caliditates, frigiditates, grauitates, leuitates, durum, molle, albū, nigrum, austerū, dulce, amarū: et deniq; omnibus, quibus anima vsa si intellectum quoq; semper diuinū acceperit, rectè cūctā dīs recta feliciaq; perducit: sin verò amētia coniuncta fuerit, oīa his contraria facit. Damūsne ista sic se habere? an adhuc ambiguisumus? CL. Nullo modo ambigimus. ATH. Vtrum ergo anima genus, cælum, terram, totumq; orbē regere arbitramur? quod mente virtuteq; refertū est? an quod caret virtuteq;

virtute, ut ita respondeamus? CL. Quo pacto? ATH. Ita dicamus, o mirifice vir, si vniuersus cæli circuitus, & omnium quæ in eo sunt, progressio, mentis motus & circulationi, & rationi similem habet naturam, & simili quadam ratione peragitur, constat optimam animam totius mundi curam habere concedendum esse, vnde tali ratione circumuoluatur. CL. Rectè. ATH. Sin verò furiose & sine ordine mouetur, malam. CL. Hæc quoq; rectè. ATH. Quam igitur mētis motus naturā habet? Sed ad hanc quæstionē, o amici, prudenter respondere difficile est. Quare par est, ut ego vobiscū respondeam. CL. Probè loqueris. ATH. Cauere itaq; debemus, ne quasi ex proposito ad solē conuersi, & in meridie noctem agentes, perinde respondeamus, ac si mortalibus oculis mens sufficienter conspici cognoscīq; possit. Tutius n. videbimus, si ad imaginem eius respiciamus. CL. Quo pacto dicis? ATH. Videamus cui potissimum decē illarum agitationum similis sit intellectus, ut tanquam imagine hac utamur. Eam ego in memoriam vobis reducam, & pro omnibus respondebo. CL. Optimè. ATH. Meminisse oportet & illud à nobis in superioribus esse dictum, omnium quæ sunt, alia stare, alia verò moueri. CL. Sic dictū fuit. ATH. Quinetiam eorum quæ mouentur, nonnulla vno in loco, nonnulla in pluribus agitari. CL. Hoc quoq; ATHEN. Motus autem qui semper in vno fit, necessario circa medium aliquod agitur, & circuli torno confecti similis est: ideoq; mentis circuitum pro viribus imitatur. CL. Quō id dicis? ATH. Per eadem certè, eodem modo, in eodem, circa eadem, ad eadē, vna ratione, & ordine vno ferri utraq; assero. Nempe si dicamus mentem motumq;, qui in vno fit, sphaera torno confectæ lationibus similes, nunquam rudes bonarum imaginum opifices erimus. CLIN. Rectè admodum. ATH. Contrā ergo motus qui nunquā similiter, nec per eadem, nec in eodem, neque circa eadem, neq; ad eadem, neque in uno fertur, nec ordine nec ornatu rationeq; aliqua, omni profectō amentia cognatus est. CL. Proculdubio. ATH. Iam ergo aperte possumus clamare, cum ab anima cuncta circunducantur, necessarium esse cæli circuitum à procurante exornateq; anima circunduci, siue optima illa quidem, siue contraria. CL. At hospes ex dictis iam apparuit, nefas esse aliter dicere, quàm ab anima, omni virtute referta, siue vna seu pluribus hæc omnia circumagi. ATH. Optimè tu Clinia citoq; hæc intellexisti. sed illud adde. CL. Quidnam? ATH. Si solem, lunam, ceteraq; sidera anima ducit cuncta, nōne singula quoq;. CL. Quid ni? ATH. De uno igitur verba faciamus, quæ astris oibus possunt accomodari. CL. De quo? ATH. Solis quidem corpus oēs homines vident, animā nemo, nec etiam alterius animalium corporis, nec viui, nec mortui. Idq; genus cum nullo corporis sensu percipiatur, sola mente comprehenditur. Quare & nos de ipso, hoc sola intelligentia capiamus. CL. Quidnam? ATH. Cū solem anima moueat, si trū modorum aliquo ab ea fieri hoc asserimus, fortasse non aberrabimus. CLIN. Quos dicis modos? ATH. Quod vel intus in hoc rotundo corpore inest, & quō libet ipsum transfert, quemadmodum nos anima nostra quō libet ducit. Vel ipsa foris quidem est, & corpus aliquod ignis vel aeris nacta, ut quidā aiunt, per vim corpus corpore pellit. Vel tertio, quamuis ipsa nuda corpore

Quam reuerenter cōfendum sit de deo. Translatio disputatio.

Deo iama.

Anima ratio quod potest seipsam mouere.

Quæ sint nomina motuum aīe. Anima conueniens intellectui procedit oīa rellē.

Solem mouet anima.

D d ij fit,



fit, quia tamen alias vires supra modum mirabiles habet, facile ducit. CL. Certè vno istorum modorum ab anima agitari cuncta necesse est. ATH. Præstat aut, ut siue curru quodam intrinsecus teneat corpus illud eius anima, lumenque ita cunctis effundat, siue foris sit, seu quomodocumque quis excogitet, deum esse ipsam omnes arbitremur. An aliter? CL. Ita certè, nisi quis extrema dementia tepeatur. ATH. De vniuersis præterea stellis & luna, annis, mensibus, cunctisque temporibus, quid aliud quam hoc ipsum dicemus? Quoniam anima & anima omnibus virtutibus prædita horum omnium causa demonstrata sunt, deos esse eas affirmabimus: siue in corporibus sint, & tanquam à alia quadam cælum totum exoriant, siue quomodocumque aliter agere id dicantur. CL. Omnino. ATH. Ita ergo istis concessis, poteritne aliquis negare plena deorum omnia esse? CL. Nullus adè mente captus est hospes. ATH. Ei ergo qui deos esse negat, positus terminis, o Clinia, & Megille, sermonem iam relinquamus. CL. Quos terminos imponemus? ATH. Ut vel doceat nos non rectè opinari, cum animam generationem primam omnium dicimus: ceteraque à nobis consequenter dicta, vera non esse. Vel si nihil melius quam nos dicere potest, nobis credat: & ita in posterum viuat, ut de dijs non ambigat. Verùm consideremus nunc vtrum sufficienter deos esse aduersus negantes ostendimus, an non. CL. SuffICIENTER dictum est hospes. ATH. Disputatio igitur aduersus istos, finem habet. Sed ille iam, qui quamuis deos esse dicat, curam tamen humanarum rerum negat habere: sic à nobis est persuadendus. O vir eximie, dicamus, natura quædam diuinitati cognata ad rem tibi coniunctam affirmandam colendamque ducit, quando deos esse asseris. Sed improborum iniustorumque hominum publice priuatumque successus, qui licet reuera felices non sint, vulgò tamen felices habentur, & carminibus frequenter ceterisque sermonibus extolluntur, temere ad impietatem te precipitem agunt. aut et cum scelestos homines videas ad senium usque ita deuenire, ut filios atque nepotes in maximis relinquunt honoribus, valde turbaris. Audisti fortassis, aut et ipse vidisti nonnullos, quamuis iniuste & impie multa gesserint, propter ipsa tamè scelera ex re parua in magnam, & ex infimo gradu ad tyrannidem peruenisse. Propterea cum deos harum rerum autores esse propter ipsam cum illis coniunctionem incusare, & aduersus eos peccare nolis, nonnulla ductus absurditate, ac dijs ipsis succedere non volens, huc tandè delapsus es, ut licet deos esse arbitreris, humanas tamè res ab illis negligi credas. Ne igitur hæc opinio ad grauiorem te trudat impietatis morbum, remedium pro viribus opinionem hanc refutantes, adhibeamus. Quocirca sequentem disputationem cum præcedente illa ratione iungemus: qua aduersus eos etiam qui deos esse negabant, vsi sumus. Tu verò Clinia & Megille, pro adolescente, ut fecisti hactenus, responde. Atque ego si arduum quid inciderit, vos suscipiens, ut nunc feci, trans fluuium ducam. CL. Rectè dicis: & ita facito. nos quoque pro viribus faciemus. ATH. Non erit forsan difficile demonstrare, deos non minus minimarum rerum quam maximarum curam habere: præsertim cum paulò ante dictum fuerit, eos omni virtute refertos, prouidentiam omnium sibi propriam vendicare. CL. Et maxime quidem. ATH. Quod sequitur, communiter inuestige-

Deos humanarum rerum curam habere.

Virtus deorum.

mus: qua sit virtus eorum qua boni esse conceduntur. Age, nonne temperatum esse, mentemque habere, virtuti dantur, & contraria vitio? CL. Certè. ATH. Quid porro? Nonne fortitudo virtuti etiam datur, timiditas vitio? CL. Valde. ATH. Et horum alia turpia, alia honesta dicuntur? CL. Necesse est. ATH. Et quæ in his vitia sunt, nobis quidem inesse posse: deos vero eorum participes nullo modo dicemus? CL. Hæc etiam quibus concederet. ATH. Nunquid negligentiam, delicias, otium, animi virtutem putabimus? An aliter? CL. At quò? ATH. Num contrà? CL. Ita sanè. ATH. Horum ergo contraria in contrarium. CL. Sic utiq. ATH. Qui delictis, negligentia, otioque deditus est, quem Hesiodus ignavis maxime fucis similem dicit, nonne odio nobis habetur? CL. Rectissime profecto poeta ille cecinit. ATH. Non ergo dicendus deus eos mores habere, quos odit, nec permitendus est vllus ita dicere? CL. Nullo modo. ATH. An ille, ad quem operis alicuius effectio & cura maxime pertinet, magna in eo opere curabit, parua contemnet? Quomodo si hanc opinionem laudauerimus, non errabimus? Sed ita istud consideremus. Nonne siue homo siue deus, duabus de causis negligit? CL. Quibus? ATH. Vel quia nihil interesse totius putat, si parua negliguntur: vel quia licet interesse opinetur, pigritia tamen mollietate detentus, negligit. Aliter. n. negligentia non contingit. Nam quando quis non potest omnium curam gerere magnorum parvorumque, atque ideo imbecillitate impeditus non curat, negligentia tunc in eo esse non dicitur, siue homo quidam sit impotens, siue deus aliquis non posse fingatur. CL. Non certè. ATH. Sed nunc illi duo tribus nobis respondeant, qui licet deos esse concedant, alter tamè facile placabiles, alter in rebus paruis negligentes putat, primumque sic interrogentur. Ambo deos asseritis scire, videre, audireque omnia: nihilque ipsos effugere posse eorum que aut sensu aut intellectu percipiuntur? hæc ne ita se habere dicitis? an aliter. Sic. Deinde omnia eos posse quecumque mortales immortalè sue possunt? CL. Absque dubio ita esse concedent? ATH. Bonos etiam, imò optimos esse omnes quique confessi sumus. CLIN. Omnino. ATH. Nulla ergo pigritia, nulla mollietate capi eos possibile: quando quidem tales sunt, quales esse consensimus. Nam à timiditate in nobis otium nascitur: pigritia verò ab otio atque mollietate. CLIN. Vera loqueris. ATHEN. Nullus ergo deorum otio pigritiaque corruptus quicquam negligit. Nullius enim timiditatis deus est particeps. CL. Probè. ATHEN. Ergo relinquatur si paruas paucaque in vniuerso res negligunt, ut ita negligant, aut quia contemnenda illa esse sciunt, aut quidnam aliud reliquum est, quam huius contrarium? CLIN. Nihil penitus. ATHEN. Vtrum ergo, o vir eximie, te dicere affirmabimus? an quod propter ignorantiam, cum prouidere debeant, non prouideant? an sicut improbos homines dicimus, meliora quidem videre, sed voluptate aut dolore fractos deteriora sequi, sic deos quamuis sciant prouidendum esse, similiter non prouidere? CLIN. Quomodo id fieri potest? ATHEN. Præterea res humana, viuentis nature participes sunt: & homo ipse præ ceteris animalibus dei cultor diligentissimus est. CLIN. Apparet. ATHEN. Quinetiam mortalia cuncta viuentia à dijs fieri possiderique, quemadmodum & cælum vniuersum, dicimus.

dicimus. CL. Proculdubio. ATH. Nam ergo seu parua hac sine magna quis dixerit dijs esse, nullo modo cū prouidentissimi atque optimi sint, negligenda sibi sua possessio est. Sed istud praterea consideremus. CLIN. Quid nam? ATH. Num sensus & vires contrario inter se modo ad facilitatem difficultatemque se naturaliter habeant. CLIN. Quid ais? ATH. Parua quippe difficilius quam magna videntur & audiuntur. Facilius aut tenentur ferunturque, & prouidentia gubernantur parua oīa & pauca, quam eorū contraria. CL. Certē multo facilius. ATH. Quid verō? cū medicus totū corpus curare velit ac possit, si magnis prouiderit, parua contempserit, an bene huic unquam se totum habebit? CL. Nunquā. ATH. Sed nec gubernatores, nec imperatores, nec patres familias, neque ciuitatū moderatores, neque vlli oīno tales, paucis paruis neglectis recte multa & ingentia gubernabūt. Nam lapides quoque magnos sine paruis bene strui negant architecti. CL. Certē. ATH. Caueamus autem ne deum mortalibus opificibus viliorem putemus. Isti sane quanto peritiores sunt, tanto arte vna in proprijs ipsorum operibus & parua simul & magna exquisitis absolutiusque perficiunt. Deus verō qui sapientissimus est, & curare potest ac vult: magnis quidem prouidebit solū, parua autem qua facilius gubernari possunt, propter pigritiam & ignauiam negliget? CL. Nullo modo hanc hospes de dijs opinionem admittendam putamus. Nefaria. n. hac & falsa penitus cogitatio. ATH. Satis iam aduersus eū, qui negligentia crimine deos incusat, disputasse videmur. CL. Certē. ATH. Verū haecenus quodammodo ratione cogimus, vt falsa se opinari confiteretur. Indigere quoque persuasionē, qua veluti cāru quodam capiatur, existimo. CL. Quae nam hac persuasio est? ATH. Huic adulescenti persuadeamus, cū qui toti prouidet, ad virtutem salutemque totius oīa ordinare, cuius pars quaeque pro viribus quod sibi conuenit agit & patitur: atque hū singulis praepositi principes sunt, qui minimarum et actionum passionumque per singulas & extremas vniuersi particulis distributione ad vltimum usque per acta curam habent. Quarum vna tua, o miser, particula est, qua ad totum semper respicit, quamuis minima sit. Tu verō ignoras oēm singulorum generationem illius gratia fieri, vt vniuersi ipsius beata vita sit. eius substantia non tui gratia est, sed illius tu gratia factus es. Medicus enim & artificiofus opifex oīs totius gratia singula facit, & ad communem perfectionem dirigit omnia: non totum ad partem, sed partes ad totum singulas referens. Tu autē molestē fers, quia ignoras quo pacto quod tibi optimum est, vniuerso simul & tibi pro cōmuni generationis viribus conuenit. Quoniam verō anima cū corpore semper, modo cū alio, deinde cū alio coniuncta, varijs mutationibus, aut propter seipsam, aut propter aliam animam commutatur, nihil aliud harum rerum ordinatori tanquam talos iacenti restat, quam vt quasi transponendo permuet, meliores quidem mores in meliorem locum, in deteriores verō deteriores, prout singulis conuenit, vt sortem sibi congruam singula consequantur. CL. Quomodo id ais? ATH. Ea rone mihi dicere videor, qua facillimē dii cūctis prouideant. Nam si quis ad totum semper respiciens fingit quaeque, & ad ipsum oīa transfiguratur, vt ex igne aqua ut atam, nec multa simul ex vno vel ex mul-

tis vno, prima, aut secūda, aut tertia generationis participantia multitudine infinita transpositi huius ornatus erunt. Nunc autē mira facilitas in eius opere est, qui toti prouidet. CL. Quo pacto id rursus ais? ATH. Quoniam rex ille noster actiones hominum oēs animatas esse perspexit, multamque ipsas in se virtutem, multam etiam prauitatem habere, quodue factum est animam & corpus, perditionem non pati, neque tamen aeternum esse, qua lege dii sunt: nam si alterutrum horum perderetur, oīs cessaret animalium generatio: praterea quod ipsius anima bonū est, iuuare, quod malū, contra nocere: hac inquam oīa quoniam perspexit, idcirco excogitauit vbi pars quaeque locata maxime, optime, facillimēque virtuti victoriam, vitio verō ne vincat, impedimentum in vniuerso praebere possit. Adinuenit igitur ad vniuersum hoc, quale factū quodlibet, qualem sedē habitationemque, & qualia loca sortiri debeat. Causas verō huius vel illius generandi, uoluntatibus nostris permisit. Vbi cūque n. quis cupiat, qualisque animus sit, ibi ferme semper habitat, & talis fit vt plurimum. CL. Congruē. ATH. Quaecumque igitur animam habent, transmutantur: quippe cū transmutationis in seipsis causam habeant. Transmutata secundum ordinem legemque factorum feruntur. Et quae minus peccarunt, minus profundē, ac in regionis superficie vagantur: quae magis atque atrocius, decidunt in profundū, & in regionem inferiorem delabuntur, quam inferorum vocabulo similibusque nominibus appellantes, tam viuētes quam a corporibus soluti somniant atque formidant. Anima verō quae maioris virtutis vel vity compos est, quando propria voluntate & assidua cōsuetudine uehementius permūtata, diuina virtuti adhaesit, talisque praecipue facta est, in locū similiter longē meliorem sanctumque transferatur: quae verō contrario modo affecta est, in contrarium translata, vitā peragat suam. Hoc deorū qui cōlū habitant, o puer & adulescens qui a dijs negligi putas, indicium est: vt qui peior sit, ad peiores, qui melior, ad meliores animas, tam in vita quam in omni morte proficiscatur, patiaturque & agat quae a similibus ad similes fieri oportet. Quare nec tu, nec alius vllus, optet confidatque se adeo felice fore, vt iudiciū hoc deorū effugiat atque exuperet. Nā qui hoc sanxerunt, firmiter, quam cetera oīa stabilierunt, vt cauendum oīno sit. Nunquam. n. ab illo negligaris, nec si ita paruis sis vt in terra profundum ingrediaris, nec si adeo sublimis fias, vt penitus elatus in cōlū voles: sed cōuenientia supplicia dabis, siue hic manens, siue ad inferos profectus, siue ad remotiore aliquem inaccessibleēque locū translatus. Eadē quoque de illis ratio sit, quos per nefaria scelera ex paruis in magnos viros euasisse ituitus, putasti ad felicitatē ex miseria peruenisse. Quorū in operationibus velut in speculo, deorū ad oīa negligentiam inspexisse existimasti, quod videlicet ignorabas ad quid eorū progressus vniuerso cōducant. Non oportet autē hoc, o vir pstantissimē, ignorare, quod quinescit, nec viuendi formā vnaque conspiciet, nec verba de vita beatitudine vel miseria facere poterit. Quare si Clinias hic, et vniuersus hic seniorū cōtus tibi persuasit, te quid de dijs dicas penitus ignorare, satis tibi deus fauerit: si verō rōnem adhuc aliquam desideras, audi quae ad tertium illū dicemus, si quo pacto mentis es particeps. Profecto deos esse, hōibusque prouidere, satis arbitror demonstratum.

Sed iniquorum hominum eos muneribus corrumpi, nullo modo dici permittendum est: & si dicatur, omnino pro viribus refutandum. C. L. Praclare dictum: & sic agamus. A. T. H. Age igitur per deos ipsos, quonam modo placabiles sunt, si quo pacto fiant: & qui & quales sunt, si placantur? principes enim esse eos necesse est, qui totum cælum perpetuo gubernaturi sunt. C. L. Certè. A. T. H. Sed quibusnam principibus similes sunt? quæ illis principes similes, ut possibile nobis sit, minores maioribus comparare? Vtrum auriga aliqui certantium bigarum tales sunt? aut nauium gubernatores? Fortasse autem exercituum ducibus cõferri possunt, vel medicis: qui bella morborum ab humanis corporibus arcet atq; propulsant: aut agricolis inimicis orientibus stirpibus tempestates timentibus cauentibusq; aut etiam gregum armentorumq; pastoribus. Nam cum inter nos conuenerit, multorum bonorum, multorumq; malorum, & quidem plurimum, plenum esse cælum, immortale aliquod bellum hoc est, & mirabili custodia indiget. sed optulantur nobis dii simul & demones. Nos aut deorum demonumq; possessio sumus. Verum iniustitia & intemperantia vna cum imprudentia nos corrumpunt. Iustitia verò & temperantia cum prudentia, quæ in viribus deorum animatis inhabitant, salutem nobis afferunt. Breue aut aliquid horum habitare in nobis manifestè hinc licet conspiciere. Nã aia in terra quadam habitantes iniusta, & ferarum instar atroces, aduersus custodum aras, canum puta aut pastorum, vel et præcipuorum omnium dominorum insurgunt, verborumq; lenocinijs, deprecationeq; quorundam cantuum persuadent, ut fama malorum est, licere malè agendo inter hoies sibi plurima usurpare, nec aliquam inde penam persolvere. hoc nos delictum, quo ad usurpationem plurimum inhiatur, in corporibus at alium morbum vocamus, in anni temporibus pestilentiam, in ciuitatibus rebusq; publicis cõmutato nomine iniustitiam. C. L. Omnino. A. T. H. Necesse est igitur eum qui credit deos veniam hoibus iniustis præbere, si quis ipsis rapina partem tribuerit, dicere eos esse veluti canes, quibus lupi particulam rapina concedant, & illi muneribus his placati, greges diripi patiantur. Nonne hic eorum sermo est, qui placabiles esse deos prædicant? C. L. Hic certè. A. T. H. Sed quibus prædictorum custodum deos aliquis conferens non erit omnium hominum ridiculosissimus? Vtrum gubernatoribus, qui libatione vini atq; nidore carniū deuoluti, nauis simul nauasq; euertunt? C. L. Minime. A. T. H. Sed neq; aurigis, qui dum certant, corrupti muneribus, aduersariorum curribus victoriam ipsam concedant. C. L. Non certè. Turpis enim hæc in deos comparatio. A. T. H. Atqui nec imperatoribus, nec medicis, nec agricolis, nec pastoribus similiter persuasus, nec etiam canibus astutia luporum blande seductis. C. L. Bona verba quasò. Hæc enim audienda non sunt. A. T. H. Nonne custodum omnium maximi & in maximis rebus dii omnes? C. L. Ita prorsus. A. T. H. An optimarum rerum custodes, & in virtute custodia nimium excellentes, deteriores esse dicemus quàm canes hominesq; mediocres, qui nunquam muneribus ab iniustis hominibus impie acceptis iustitiam proderent? C. L. Nequaquam hic sermo ferendus est, & qui hac opinione laborat, impiorum omnium iure pestissimus & profanissimus indicabitur. A. T. H. Tria igitur il-

la quæ proposuimus, deos videlicet esse, omniumq; curam habere, nec præter iustum precibus ulli flecti posse, sufficienter ostendisse videmur. C. L. Certè & his nos rationibus assentimus. A. T. H. Vehementius quodammodo propter improborum hominum cõtrouersias diximus. Sed hæc de causa, o amice Clinia, contentiosa vsi sumus oratione, ne prauo dicendo se vicisse putantes, licentiam sibi datam credant faciendi quacunq; velint, & qualiacunq; aduersus deos existiment facienda. hæc inquam de causa, noua quadam, & vehementiori dicendi rone uti volumus. Quod siquid ad persuasionem attulimus, ut iam velint mores suos odisse & contrarios complecti, probe nobis exordium legum de impietate dictum est. C. L. Speramus ita fore. sin minus, at genus orationis legumlatori dedecori non erit. A. T. H. Post exordium sermo legum interpres rectè sequitur: qui impijs omnibus prædicet, ut à suis moribus ad pietatem sese conuertant. Aduersus eos autem qui non paruerint, lex ista de impietate ponatur. Si quis impie quicquam agit vel loquitur, qui forte præsens fuerit, deos defendat, magistratibus significet. Quorum qui primi audierint, ad harum rerum iudiciū, secundum leges deferant. Quod si quis magistratus audierit neq; detulerit, ipse impietatis reus fiat, & qui velit, pro ultione legum prosequatur. Et si quis condemnatus fuerit, iudices hunc pro singulis impie cõmissis, singulis quibusq; afficiant supplicijs. Carceribus quidem oēs coerceantur. Tres vero sunt in ciuitate carceres. Vnus plurimum cõmunis in foro rerum venalium. Vbi multi ne fugiant, custodiuntur. Alter vbi cæcus eorum sit, qui non est congregatur, correctionis nomine appellatus. Tertius in media regione: vbi quàm maximè desertus syluestriq; locus est, supplicij noie notatus. Tres quoq; impietatis, ut supra narrauimus, cause sunt. Cumq; in singulis hoim causis duo quædam proficiantur, sex erunt aduersus deos genera peccatorum, quæ ut dydicentur digna sunt, nec equali similiq; pena indigent. Nam alij quamuis deos esse non credant, tamen propter iustum aliquem naturæ affectum, malos oderunt, & odio quodam aduersus iniustitiam moti ab iniurijs abstinent: iniquos fugiunt, iustos homines diligunt. Alij vero ad hanc opinionem, quod deorum præsentia desunt a omnia sint: priores quoq; ad voluptates doloresq; sunt: acumine et, & memoria polleant. Vtrisque, i. cõe, ut esse deos negent. In hoc aut differunt, quod cateris hominibus ille minus, hic plus nocet. Ille quidem libere aduersus deos, sacrificia, iusiurandū obloquitur: atq; ita alios deridendo, nisi puniatur, multos forsan sibi similes faciet. Hic vero eandem habet opinionem, sed acriori ingenio præditus vulgò putatur, dolosq; & insidijs plenus est. Ex istis multi sortilegi fiunt, & ad omne veneficij maleficijq; genus prompti. Fiunt præterea ex istis nonnunquam tyranni, exercituum duces, concionatores, & qui solennitatibus priuatis insidiantur, & qui homines captiuiculis sophistarum decipiunt. Horum profecto multa quidem sunt species: sed legum positione dignæ duæ. quarum quæ dissimulatione referta est, scelera parit non vna tantum morte vel duabus digna, sed pluribus. Altera castigatione simul, et vinculis indiget. Similiter opinio quæ dii negligentes existimantur, duo gignit: et quæ facile uotis muneribusq; placabiles, alia duo. Cũ ita impij distineti sint: eos quidè qui non malis morib

moribus, sed amentia quadam tales facti sunt, in correctionis carcere non minus quam quinquennium perman-  
 suos iudex coniciat. Quo in tempore nullus cum ipsis ci-  
 uis colloquatur, praeter eos qui nocturni caetus participes  
 sunt, hi vero admonentes, ad salutem animae colloquan-  
 tur. Cum autem vinculorum tempus exactum fuerit, qui  
 modestior factus est, una cum modestis habitat, quod si  
 rursus impietatis crimine condemnabitur, morte plectatur.  
 Sed sunt nonnulli qui ad eam opinionem quod diis sint,  
 vel negligentes vel placabiles sint, immanes quoque fiunt,  
 hominesque despicunt, et viuentes ad se multos alliciunt,  
 attrahuntque: nec non defunctos se trahere consolarique di-  
 cunt, profitenturque se deos ipsos caribus sacrificijs, votisque  
 mulcere. Et hoc lenocinio conantur domos et ciuitates  
 vniuersas pecuniarum gratia perdere. Eorum qui dana-  
 tus fuerit in mediterraneis carceribus vincitur, nec vl-  
 lus liber unquam ad eum accedat: sed statutum ipsi a legum  
 custodibus cibum serui afferat. Vita denique functum, extra re-  
 gionis fines insepultum eiciant. Quae si quis liber sepelierit,  
 a volente impietatis crimine accusetur. Quod si filios re-  
 liquerit ciuitati sufficientes, orphanorum tutores horum  
 non minus quam reliquorum, ab eo die quo damnatus fue-  
 rit curam habeant. Sed communis de omnibus his lex ista  
 ponatur, quae faciet ut multi minus verbo et re in deos  
 peccent, et ut ab amentia reuocentur: ex eo quod non li-  
 cebit deos sibi deorumque sacra praeter leges effingere. Sit autem  
 lex huiusmodi simpliciter cunctis imposta. Sacella nemo in pri-  
 uata domo habeat. Cum vero animum quis ad sacrificia  
 induxerit, ad publica sacrificaturus accedat et sa-  
 cerdotibus hostias praebet, qui curam harum rerum castis-  
 sime gerunt. Quibus cum et ipse oret, et quicumque cum  
 eo simul orare velit. Hac ideo ita fiant, quia sacella et  
 deos instituire non facile est. Quippe magni ingenij est re-  
 et rem istam facere. Solent autem mulieres praecipue, ac im-  
 becilliores, et in periculo constituti et indigentes vbi-  
 que, quibus indigeat, et contra quod facultas rei alicuius af-  
 fluit, quod adesse videtur semper consecrare, hostiasque vo-  
 nere, et statuas diis atque demonibus et deorum filijs pol-  
 liceri. Phantasmatibus commoti vigilantes, et in somnijs  
 similiter multa se vidisse praeformidine recordati, vbi re-  
 media singulis afferre conantur, aris sacellisque omnes do-  
 mos vicose repleverunt. Quorum omnium gratia lex ista po-  
 nenda est, ac praeterea impiorum causa, ne ista sibi operatio-  
 nibus usurpantes, sacella et aras suis in domibus statuunt,  
 putentque deos clam votis, sacrificijsque placare: atque ita in-  
 infinitum suam iniustitiam augeant, unde tam ad se quam ad  
 eos qui sibi ista permittunt, quauis illi meliores sint, indi-  
 gnatione deorum prouocent: quo pacto tota ciuitas iure quo-  
 dammodo impietatis crimine teneatur. Legum quidem lato-  
 ri deus minime irascitur. Lex enim sit. Sacella deorum nemi-  
 ne in priuatis domibus possidere. Si vero quispiam habuisse,  
 sacrificia seque, alibi que in publicis deprehendatur: qui sen-  
 sit, ad legum custodes deferat. Ipsi autem si nihil magni scele-  
 ris a foemina siue a viro factum sit, ad publica templa iubeant  
 priuata sacra deferri: et si non ilico delata fuerint, mulctentur  
 donec deferantur. Siquis autem non puerile, sed nefaria impieta-  
 tem commiserit, siue in suis priuatis, siue in publico deorum cultu  
 sacrificando deliquerit, morte ut impure sacrificas condene-  
 tur. Puerile vero esse vel non, custodes legum iudicent, tra-  
 ctosque ita impros in iudicijs, impietatis reos esse declarent.

Nemo sacella in domo priuata habeat.

## DIALOGVS VNDECIMVS DE LEGIBVS, VEL, DE LEGVMLATIONE.

MARSILII FICINI ARGVMENT.



LATO noster quemadmodum et philosophorum omnium sapientissimus, et eloquentissimus oratorum, ita iurisperitorum omnium prudentissimus, ne in contractibus cogatur, ut solent ceteri, vastum legum interpretationumque, et id quidem frustra, opus conficere, merito antequam descendere ad contractus, forensiaque commercia, studuit disciplinis, legibus, iudicijs, religione ciues bonos efficere, sperans iustos homines, vel absque legibus sponte fidem et veritatem in omni commercio praestituros. Et profecto admodum opportune post leges de iudicijs pertinentibus ad personas, leges iudiciorum ad res spectantium adducit in medium, quibus tam aduenae quam ciues discant iuste deponere, seruare deposita atque pacta: aliena non mouere, sua cuique reddere: uti liberis, et libertis, et seruis: redere, emere, reddere, ducere, militare, tueri pupillos, testari, testamenta seruare, hereditates administrare, nuptias cociliare, diuortium facere, familiam gubernare, praeter ceteris vero parentes religiose vereri, nihil adulterare, veneficia odisse, iram insaniamque vitare: iurgia, contumelias, detractiones fugere, restituere dana, veritatem in testimonijs iuramentisque seruare. atque haec ferme est vndecimi huius libri materia. Post haec autem, ut solemus, obscuriora quaedam arbitramur breuiter exponenda. Principio dea itineris gemina esse scito, indicatrice scilicet atque seruatrice. Et illam quidem esse lucem sub nomine Luna: hanc vero sub Diana nomine fidem. et quicquid casu quodam alienum in itinere reperit, deo esse dicendum: ut agnoscat fortunam prosperam esse ad dei praesentiam referendam. Contemplare Platonice bonitatem, videlicet retentam emendo atque uendendo, non solum rem adulterare, mentiri, peierare: sed iurare etiam: imo vero et rem venalem laudare, et in eadem die precium permutare. Vbi illud edisce. Nemo dijs inuocatis mendacium dicat, aut decipiat, aut adulterare verbo vel re quicquam audeat, nisi deo velit odio esse: cui quidem primum odium est, qui falso iurans deos parui pendit: deinde qui coram maioribus se mittit. Et vide iterum atque iterum quam liberam et integram Plato optet ingenua ciuium, a quibus omnem cauponandi licentiam procul expellit. Addit quoque tum opulentiam, tum egestatem esse morbum ingeniorum. Inde in inflatores, hinc debiliores abiectioresque homines fieri. Vbi vero ait Palladem, Vulcanumque, et Martem artibus praesidere, ex multis Platonis mysterijs alibi atque alibi traditis collige: Ioui summo mundi architecto trinitatem quandam numinum, quam opificiam Platonice nominamus, semper asserere. In qua quidem trinitate prima sit Pallas: secundus autem Vulcanus: Mars vero tertius. Sed quemadmodum trinitas tota ad Iouem ipsum, a quo est, refertur: ita ferme Vulcanus et Mars referuntur ad Palladem, Mitto nunc quod in Marte potentiam: in Pallade sapientiam: in Vulcano igneam spiritum somnasse videtur. Tria certe ad ipsam Iouis artem qua vniuersum perficit, requiruntur. Primum quidem ratio ipsa per quam singula sita facturus. Secundum efficax eorum quae ratione conceperat, expeditio. Tertium eorum quae in effectum expeditum sunt salus atque defensio: Ideam primum Palladem, secundum Vulcanum, tertium Martem nominat. Et quia utriusque, scilicet iam conseruatio siue defensio, quam expeditio vel expeditio rerum, indiget ratione atque sapientia: ideo Pallas et Vulcano praesidere Marti: et quicquid vel a Vulcano fabricatur, vel a Marte postquam fabricatum est, defenditur, et in sua forma seruatur, Pallade duce peragitur. Horum vero trium in arte diuina regnantium, tria quoque in natura videmus uestigia, per Palladem quidem, ordinem quo singula disponuntur, per Vulcanum vero, efficacem progressum et ruptum quae partium ad quae omnia properant, per Martem denique munitissimam structuram a generantibus adhibita gentis, et varia propugnacula naturam propria a contrarijs defendentia. Tria similiter in arte humana quidem omni, maxime vero ciuili esse debent, ut singula et sapienter prius quam fiat excogitentur, et mature strenueque expeditur, et ea forma qua excogitata exproptaque sunt, seruentur atque fortiter defendantur. Et ut cognoscamus artem humanam in his omnibus absoluendis non minus quam naturam ab ipso deo ideisque pendere, inquit tres illos deos humanis artibus praesidere. At ne solas a dijs artes habuisse putemus, addit deos ut a datores reuereri maxime omnium oportere, adeo ut vel eorum nomina non sint vel impudenter vel temere proferenda: sed omnia vel minima ad eos pertinentia, pure, reuerenter, castisque tractanda. Quibus praereceptis nihil potest sanctius excogitari: si modo non deos, sed deum nominasset.